

---

# GUILLELMUS DE TRAHINACO

GRANDIMONTENSIS PRIOR SEXTUS

## NOTITIA

(Gall. Christ. nov., tom. II, col. 649)

Guillelmus I de Trahinaco, alias de Axia, Lemo-  
vicensis diocesis, renunciatus est vigilia Assump-  
tionis B. Mariæ; qui jejuniis, vigiliis, et oratio-  
nibus intentus, prioratum administravit annis 18,  
mensibus tribus. Sub ejus præfectura excipitur  
crucis Dominicæ portio, ut fidem facit sequens  
schedula: Anno ab Incarnatione Domini 1174, papa  
Alexandro III præsidente, Amalrico rege Hieroso-  
lymitano VI, Ludovico VII rege Francorum, Hen-  
rico II rege Anglorum regnantibus, tempore domni  
Guillelmi sexti prioris Grandimontensis, pridie Kal.  
Junii, susceptio vivificæ crucis quam prædictus Ma-  
nuel imperator Constantinopolitanus præfato Amal-  
rico neptis ejusdem imperatoris marito, cum aureo  
contulit phylacterio. Idem vero rex Amalricus divina  
inspirazione illuminatus, eundem crucem cum eodem  
phylacterio per Bernardum venerabilem Liddensem  
episcopum apud Grandimontem direxit, ubi a priore  
prænominato, et universis fratribus cum omni ho-  
nore et devotione suscepta est. Communi itaque con-  
silio prioris et fratrum sancitum est, ut si quis vel  
totam crucem, vel aliquid de ipsa cruce a loco Gran-  
dimontensi transmutare vel subtrahere præsumperit,  
anathema sit. Amen. Sub præsulatu Guillelmi, insti-  
gante humani generis inimico, suborta est gravis  
dissentio in ordine Grandimontensi, in religionia

(1) An. 1639 inventa est arca plumbea, in qua  
requiescit corpus Guillelmi prioris, cum hoc dis-  
tycho:

quæ huc usque tunc floruerat, grave dispendium,  
et scandalum plurimorum, quæ triennio desæviens  
perduravit usque ad tempus Clementis III papæ.  
Idem, inquam, Guillelmus clericorum suæ domus  
libertatem strenue tutatus est adversus fratres con-  
versos, quorum eo prosiliit audacia, ut ipsum ne-  
fario ausu non modo carceri manciperint, sed  
et officio prioratus quoque deponere præsumpse-  
rint, intruso Stephano. Quamobrem Carnotensis  
episcopus, et S. Victoris cœnobiarcha, judices a  
Lucio III delegati sunt, qui pristino honori, opitu-  
lante Audeberto comite Marchiæ, Guillelmum re-  
stituere. Deinde vero cum se abrenuntiaturum pro-  
misisset, tam ipsum quam Stephanum in ejus  
locum suffectum excidisse a præfectura decrevit  
Clemens papa III, alterius eligendi concessa facul-  
tate; qua de re vide bullam inter ejus epistolas.  
Postmodum fit conventio inter clericos et conver-  
sos per Innocentium III pont. max.; sed Guillelmus  
Romæ, vel, ut alii produnt, a curia reversus, evo-  
catur ex hac vita xiv Kalend. Decemb. elatus fune-  
bri pompa ad Grandimontem, inter priores tu-  
mular sub hoc brevi epitaphio: *Hic jacet domnus  
Guillelmus (1) reverendissimus sextus prior, verus  
Israelita, in quo dolus non erat. Vixit in prioratu  
xviii annis et tribus mensibus.*

*Cerne, prior sextus Willelmus pro grege factus  
Exsul, cum Christo tumulo requiescit in isto.*

---

# GUILLELMI DE TRAHINACO

## EPISTOLÆ.

(Vide supra, inter epistolas Petri Bernardi, sub num. 4 et 5.)

---

# GERARDUS IHERII

GRANDIMONTENSIS PRIOR SEPTIMUS

## NOTITIA

(Gall. Christ. nov., tom. II, col. 649)

Gerardus Itherii Guillelmo suffectus est suffragiis C S. Michaelis 1188, ejus promotione tranquillitas  
capituli generalis celebrati iii Kal. Oct. in festo fratribus a Domino redditur. Hic porro prior stu-